

plis, quæ veritati nil præjudicant. Itaq; illi dubitantes rectè informandi prius, quam ad S. Eucharistiam admittendi. Quod si non audiant CHRISTUM, increduli existunt & plus credunt hominibus spinosis argutiis, quam CHRISTO clarissimè suam exprimenti sententiam. Certè fons τῆς ἀπιστίας est, nolle credere CHRISTO dicenti: Edite, abominanti quoq; omnem suspensionem fidei καὶ ἰποχρῆν, quæ istius farinæ homines occupat. Cum verò vis Sacramenti non pendeat ab incredulitate Ministri, existimo DEUM in simplicibus operari, quorum corda puriora sunt quam ora Doctorum, ut in Papatu & sub Arianismo olim. Regenerationem à decreto absoluto suspendunt Reformati, eamque funditus evertunt, solos Electos regenerari (at quam pauci sunt!) dictitantes. Qui vero simpliciter credunt, ii non sunt affines deterrimi hujusce dogmatis. Unio politica inter nos & Calvinianos non improbatur; Ecclesiastica verò nunquam ut spiritualis. Est enim Calvinismus planè irreconciliabilis. Semper exitiosissima hæc concordia, cum teste D. BERGIO nostra & Reformatorum sententia in puris contradictoriis versetur. Toto verò cœlo errant putantes, cessuros Reformatos nostris vel in unico controversiæ capite, ut rectissimè dixerit Lutherus in Colloq. Marpurg. Aō 1529. Vos alio ducimini Spiritu, quam nos. Et Calviniani hoc agunt toti, ut durantibus induciis nostram Ecclesiam depopulentur, quod docet

vivo